

Volumus insuper atque concedimus ad servandas conscientias professorum hujus ordinis: & pro ipsorum majori quiete animorum: quod si qui professorum hujusmodi dictam regulam, seu aliquam de contentis in ea humana fragilitate, aut infirmitate causante, seu aliis tam exactè prout traditur in eisdem non observaverint: non propterea mortalis peccati vinculo sint ligati, sed per suos superiores pro eorum excessu & transgressione ac modo culpe injungi valeat penitentia salutaris: quam suscipere & adimplere teneantur: non obstantibus constitutionibus Apostolicis, ac prædicti & aliorum quorumcumque ordinum statutis & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Tenor verò regulæ hujusmodi de verbo ad verbum sequitur: & est talis.

REGULA MONACHORUM DIVI
Hieronymi, ex scriptis ejusdem per Lupum
de Oliveto collecta.

FRATRES charissimi, non quo quem mente concepi ore proferte sermonem: & cordis latitiam lingua non explicat. Hoc autem non solum ego patior qui cupio narrare quæ sentio: sed etiam & vos mecum patimini: plus exultantes in conscientia, quam in eloquio profertentes. Cum itaque nihil sit Christiano felicius: cui promittuntur regna cælorum. Nihil laboriosius, qui de vita quotidie periclitatur. Nihil fortius, qui vincit diabolum. Nihil imbecillius, quia carne superatur. Utriusque rei exempla sunt plurima. Latio credit in cruce: & statim meretur audire: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Judas verò de apostolatus fastigio in perditionis tartarum labitur: & nec familiaritate communi: nec intinctione buccellæ: nec osculi gratia frangitur: ne quasi hominem tradat, quem filium Dei noverat. Nos quidem parva dimisimus: grandia possidemus, centuplicato fœnore Christi promissa redduntur.

Hæc dicimus, non tam tibi quam aliis sub tuo nomine: ut prima te fili fronte doceamus magna cæpisse, & excelsa sectari: & adolecentiæ imò pubertatis incentiva calcantem, perfectæ ætatis gradum scandere. Scis enim dogma nostrum humilitatis tenere vestigium: & per ima gradientes ad summa nos ascendere. Igitur sanctus mihi invocandus est spiritus: ut hoc suo sensu ore meo defendat. Non quidem campum rhetorici desideramus eloqui: non dialecticorum tendicula, & Aristotelis spineta conquirimus: Sed ad sanctarum scripturarum gravitatem confugimus: ubi vulnerum vera medicina est: ubi dolorum certa remedia.

Verùm quia memoria labitur: omnium quæ dixerimus desideras commentariolum fieri: ut oblivionem lectio consoleretur: ideo pauca quæ tibi reor fore necessaria, credidi subnectenda. Illuc enim nostra tendit oratio: ut quorum unus est labor, unum & præmium sit. Navigantes namque rubrum mare, in quo optandum nobis est, ut verus Pharao mergatur cum suo exercitu: multis difficultatibus atque periculis ad urbem maximam perveniunt: utroque littore gentes vagæ imò belluæ habitant ferocissimæ. Semper solliciti: semper armati: totius anni vehunt cibaria, latentibus faxis vasisque durissimis plena sunt omnia.

Quorsum ista perspicuum est. Nam si sæculi negotiatores tanta sustinent: ut ad incertas perveniant perituraque divitias: & servant cum animæ discrimine, quæ multis periculis quaesierunt: quid Christi negotiatori faciendum est, qui venditis omnibus quaerit preciosissimam margaritam: qui totis substantiæ opibus emit agrum, in quo reperiat thesaurum, quem nec fur effodere, & latro non possit auferre. Nolle igitur oportet quid iustum sit: quidve prohibitum: ut scientes utrumque servemus. Alioquin ante scientiam mandati impossibile est nosse quid fiat. Et hæc ego non integris rate vel mercibus, quasi ignarus fluctuum, doctus nauta præmoneo: sed nuper naufragio ejectus in litus, timida navigaturis voce denuncio. Cuncti tamen mei sensus affectu vobis vaco: sed obsecro vos, ut conatus meos orationibus adjuvetis, ut Dominus & Salvator pro causa sua respondeat.

Vestrum itaque est, ut voluntatem sequatur effectus. Meum est ut velim. Obsecrationum vestrarum est, ut possim: sed ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum. Deus semper largitur, semperque donaturus est: nec mihi sufficit quod semel dedit, nisi semper dederit. Si enim duri iudicis sententiam crebra mulieris flexit petitio: quanto magis pater-

na viscera interpellatione sedula molliuntur? Scitote tamen ante omnia nobis esse nihil antiquius, quam Christi jura servare: nec patrum transferre terminos: semperque meminisse Romanam fidem Apostolico ore laudatam.

De obedientia.

ACCIPE ergo fili doctrinam nostram ea simplicitate & veritate qua dicimus, quia non quaerimus hominum gloriam, Deus testis est. Nec ad hoc loquimur, ut humanas amicitias aucupemur, ne nostræ adulationis sermone & nos & alios decipiamus. Nec ut nos apud homines aliquid videamur, sed ut apud Deum homines magna mereantur. Hoc est itaque totum quod apprehensa manu insinuare tibi cupio, & ut simpliciter motum mentis meæ fatear, nunc monachi incunabula morelque discutimus.

Si vis igitur ad vitam ingredi, serva præcepta: hoc est, ab omni præcepto illicito quo prohiberis recedas: & ad omne bonum quod juberis, promptus accedas. Respice sanctum virum Pammachium, & ferventissimæ fidei Paulinum presbyterum, qui non solum divitias, sed se ipsos Domino obtulerunt. Qui contra diaboli tergiversationem nequaquam pellem pro pelle, sed carnes & ossa & animas suas Domino suo consecrarunt: qui te & exemplo & eloquio, id est, & opere & lingua possint ad majora perducere. Nobilis es: & illi, sed in Christo nobiliores. Dives & honoratus, & illi, imò de divitibus pauperes & inglorii. Et idcirco ditiores & magis incliti: quia pro Christo pauperes & inhonorati. Contemnens aurum: contempserunt & multi philosophi.

Non enim fatis est perfectio & consummato viro opes contemnere: pecuniam dissipare, & projicere quod in momento & perdi & inveniri potest. Fecit hoc & Antisthenes, fecerunt plurimi, quos vitiosissimos legimus. Plus enim debet Christi discipulus præstare, quam mundi philosophus, gloriæ animal & popularis auræ atque rumoris vile mancipium. Tibi non sufficit opes contemnere, nisi & Christum consequaris. Te ipsum vult Dominus hostiam vivam placentem Deo: te, inquam, non tua. Et Deus variis tentationibus commonet, quia multis plagis & doloribus eruditur Israël: & quem diligit Dominus corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit. Et quod si te ipsum Domino dederis, & apostolica virtute perfectus sequi cæperis salvatorem: tunc intelliges ubi fueris, & in exercitu Christi, quam extraneum tenueris locum.

Unde & præpositum monasterii timeas ut Dominum: diligas ut parentem: credas tibi salutare quicquid ille præceperit: nec de majoris sententia iudices, cuius officii est obedire & implere quæ iusta sunt: dicente Moysse: Audi Israël & tace: Neque ipse te doceas. Nulla ars absque magistro discitur. Etiam muta animalia & ferarum greges duces sequuntur suos. In opibus principes sunt: græves quoque unam sequuntur ordine literato. Imperator unus. Iudex unus provincie. Roma, ut condita est, duos fratres simul reges habere non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebecca utero Jacob & Esau bella gesserunt. Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli archiepiscopi, singuli archidiaconi: & omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus nicitur. In navi unus gubernator, in domo unus Dominus: in quamvis grandi exercitu unus signum expectatur. Et ne plura replicando legendi fastidium faciam: per hæc omnia ad illud tendit oratio, ut doceam te, non tuo arbitrio relinquendum: sed vivere debere in monasterio sub unius disciplina patris, confortioque multorum: ut ab alio discas humilitatem, ab alio patientiam. Hic te silentium, ille te doceat mansuetudinem: non facias quod vis, comedas quod juberis, vestiare quod acceperis: & operis tui pensum persolvas: subijcariis cui non vis: lassus ad stratum venias, necdum expleto somno surgere compellaris. Tantis occupatus negociis, nullis vacabis cogitationibus: & dum ab alio transis ad aliud, opusque succedit operi: illud solum mente retinebis, quod agere compelleris. Nam omni oblatione & hostia pretiosior est obtemperantia mandatorum, dicente Propheta: Ecce obedientia melior est quam sacrificium, & auscultatio quam adepus arietum. Et alibi: Initium bonæ vitæ, facere juxta quæ præcepta sunt apud Deum, magis quam immolare hostias. Et alibi: Qui conservat legem, multiplicat oblationem. Sacrificium salutare est, attendere mandatis: & discedere ab omni iniquitate. Nec nobis blandiri debemus in factis iustorum, si in prohibitorum transgressione pec-

cemus: cum transgressionis crimen, beneficii meritum tollat.

Quod non mei sensus assertio, sed utriusque testamenti exempla probant: ubi invenimus etiam Deamicos ob unius contemptum errorem, bonorum retrò factorum munificentiam perdidisse. Sic Adam facile cum diabolo credidit seducenti, post familiaritatem & colloquium Dei, unius pomi cupiditate superatus, perdidit paradysum. Et quia per transgressionem unum habere præsumpsit: multa simul bona amisit. Sic uxor Loth post angelorum colloquia contra interitum retrò aspiciens, in figmentum salis repente conversa est. Quis hic præsumptionis spiritus, qui tantam in animo nostro operatur audaciam: ut cum sanctos homines de levibus etiam culpis videamus punitos esse: & nos quotidie in majoribus & pluribus delinquentes, intactos in media damnatione fore credamus: quamquam leve nunquam sit Deum etiam in exiguo contemnere: qui non tantum ad qualitatem peccati respicit, sed etiam ad personæ contemptum: propter quod non solum homini intendendum quale sit quod juberetur: sed quantus sit ille qui juberet. Excludit hoc loco vulgaria illa sententia: qua mihi suo iudicio religiosi, & qui sapientes sibimet videntur, dicere solent: Sufficit nobis ut non criminalia peccata & majora faciamus.

Facilis est enim occupatio minorum delictorum: Qui dum animali sapientia occupant animas, spiritalem intelligentiam & consuetudinem divinæ legis ignorant: quæ sæpe peccatum ostendit, quod nobis non videtur esse peccatum: & quæ illic impietatem facit, ubi nos pietatis opus ostendimus. Saül & Jolaphat reges fuerunt Israël: & dum misericordiam his quos Deus oderat præstiterunt, Dei offensam in epe pietatis incurunt. E contrario Phinees filiius Levi, gratiam Dei humana cade & suorum parricidio meruerunt. Vides quantum humanis sensibus per nostram imperitiam discrepat divina sententia: ut nobis interdum cælestis iudicis dispensationem nescientibus injusta videantur, quæ per causarum scientiam iustæ & fati rectè facta probantur. Et rursum ea que nostris iudicio rectè probantur, apud Deum plerumque reproba & ingrata videntur.

Quis hodie patris Abraham exemplo innocium volens filium trucidare humano iudicio non crederetur insanus? E contra, quis in tactu arce Domini imitatus Ozam, hominum iudicio condemnaturus? Consideremus igitur quantum casus sit temerè contemnentes, cum tanta ruina esse dicitur in negligentia obsequentiis: vel quam damnationem excepturos credimus indevotos, cum tantam reprobationem devoti exceperint. Tepidum discipulum non amat Christus. Qui vult meus esse discipulus, ait, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Beate itaque sunt illæ animæ, quæ dorsum suum curvaverunt, ut suscipiant super se selesorem, & frena ejus patientur, ut quocumque voluerit flectat eas. Quando enim magister præcipit, obedientis indicium est, si dimisso adversus eum audiat capite. Si autem vertat tergum, signum est contemnentis.

De tribus generibus monachorum in Aegypto commemorantium.

ET quia monachorum fecimus mentionem, & te scio libenter audire quæ facta sunt: aurem paulisper accommoda. Tria sunt in Aegypto monachorum genera. Primum cœnobitæ, quod illi Saufes gentili lingua vocant, quos nos in commune viventes possumus appellare. Secundum Anachoritæ, qui soli habitant per desertam: & ab eo quod procul ab hominibus recesserint, nuncupantur. Tertium genus est, quod ipsi Remoboth dicunt, deterrimum atque neglectum: quod in nostra provincia, aut solum, aut primum est. Hi bini vel terni, nec multo plures simul habitant, suo arbitrio ac ditione viventes. Et de eo quod laboraverint, in medium partes conferunt: ut habeant alimenta communia. Habitant autem quamplurimi in urbibus & castellis, & quasi ars sit sancta non vita: quicquid vendiderint majoris est pretii. Inter hos sæpe sunt iurgia: quia suo viventes cibo, non pariuntur se alicui esse subiectos. Re vera solent certare jejuniis: & rem secreti, victoriæ faciunt. Apud hos affectata sunt omnia, laxæ manicæ, caligæ sollicitæ, vestis crassior, crebra suspiria, visitatio virginum, detractio clericorum. Et si quando dies festus advenit, saturantur ad vomitum.

His igitur quasi quibusdam pestibus exterminatis, veniamus ad eos qui plures sunt, & in commune habitant, id est, quos vocari cœnobitas diximus. Prima apud eos confederatio, est obedire majoribus: & quicquid iusserint facere. Divisi sunt per decurias atque centurias: ita ut novem hominibus præsit decimus. Et rursum decem præpositos sub se centesimus habeat. Manent separati, & se junctis cellulis: usque ad horam nonam, ut institutum est, nemo pergit ad alium: exceptis his decanis quos diximus: ut si cogitationibus forte quis fluctuet, illius consoletur alloquiis.

Post horam nonam in commune concurritur, psalmi resonant, scripturæ recitantur ex more: & completis orationibus cunctisque residendis, medius quem patrem vocant, incipit disputare. Quo loquente, tantum silentium fit: ut nemo alium respicere: nemo audeat excreare. Dicentis laus est in fletu audientium. Tacite voluntur per ora lachrymæ: & ne in singultus quidem erumpit dolor. Cum verò de regno Christi, & de futura beatitudine, & de gloria cœperit annunciare ventura: videas cunctos moderato suspirio & oculis ad cælum levantes inter se dicere: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? Post hæc consilium solvitur, & unaquæque decuria cum suo parente pergit ad mensam: quibus per singulas hebdomadas vicissim ministrant. Nullus in cibo strepitus est: Nemo comedens loquitur: Vivitur pane & leguminibus: & oleis quæ solo sale conviuntur. Vinum tantum fenes accipiunt, quibus cum parvulis sæpe fit prandium, ut aliorum ætas festâ sustentetur: aliorum non frangatur incipiens. Dehinc consurgunt pariter, & hymno dicto, ad præsepia redeunt, ubi usque ad vespertum cum suis unusquisque loquitur & dicit: Vidistis illum & illum? quanta in ipso gratia sit? quantum silentium? quàm moderatus incellus?

Si infirmum viderint, consolantur. Si in Dei amore ferventem, cohortantur ad studium. Et quia nocte extra suas orationes publicas in suo cubili unusquisque vigilat, circummeunt cellulas singulorum, & aure apposita, quid faciant diligenter explorant. Quem tardiorum deprehenderit, non increpant, sed dissimulato quod norunt, eum sepius visitant: & prius incipientes provocant magis orare, quam cogant. Opus Dei statum est, quod decano redditum fertur ad œconomum, qui & ipse per singulos menses patri omnium cum magno redditu rationem: à quo etiam cibi cum facti fuerint degustantur.

Jejunium totius anni æquale est, excepta quadragesima: in qua sola conceditur districtius vivere. A pentecoste, cœnæ mutantur in prandia, quo & traditioni Ecclesiastica satisfaciunt, & ventrem cibo non onerent duplicato. Ad tertium veniam genus, quos anachoritæ vocant, qui & de cœnobitis exeuntes, excepto pane & sale amplius ad desertam nil deferunt. Hujus vitæ autor Paulus, illustrator Antonius: & ut ad superiora conscendam, princeps Joannes Baptista fuit. Talem verò virum Jeremias quoque Propheta describit dicens: Bonum est viro cum portaverit jugum Domini ab adolescentia sua: sedebit solitarius & tacebit, quia sustulit super se jugum, & dabit percutienti se maxillam: saturabitur opprobriis, quia non in sempiternum abiciet Dominus. Horum laborem & conversationem in carne non carnis, alio tempore si volueris explicabo. Nunc ad propositum redeam. Bonum est obedire majoribus, parere præfectis: & post regulas scripturarum vitæ tuæ tramitem ab aliis discere, nec præceptore uti pessimo, scilicet præsumptione tua.

De castitate.

MORTIFICATE, inquit Apostolus, membra vestra, quæ sunt super terram. Unde ipse postea considerans aiebat: Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus. Qui mortificaverit membra sua, & in imagine noctis perambulaverit, non timebit dicere: Factus sum sicut uter in pruna. Unde idem Apostolus castigabat corpus suum, & in servitute redigebat, ne aliis prædicans ipse reprobos inveniretur. Corporisque ex persona generis humani inflatus ardoribus loquebatur: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Et iterum: Scio quoniam non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Velle enim adjacet mihi: ut faciam autem bonum nequaquam: neque quod volo bonum, sed quod nolo malum illud facio. Et denuò: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem non estis in carne,

sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis.

Unde post cogitationum diligentissimam cautionem, jejuniis tibi arma sumenda sunt: & canendum cum David: Humiliavi in jejuniis animam meam. Matrem ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant: & tacitum vivat sub pectore vulnus. Ancillulas quæ illi in obsequio sunt, tibi scias esse in insidiis: Quia quanto vilior earum conditio: tanto facilior ruina est. Volo ergo te propter has causas non habitare cum matre: & præcipue ne ipsam offerentem delicatos cibos renuendo contristes, aut si acceperis, oleum igni adjicias, & inter frequentiam puellarum per diem videas, quod noctibus cogites. Adolescentiam tuam nulla forte commacules, ut ad altare Christi, quasi de thalamo virgo procedas: & habeas de foris bonum testimonium.

Licet de cæteris virtutibus, ut sapientia, fortitudine, justitia, humilitate, mansuetudine & liberalitate possint & alii judicare: pudicitiam sola novit conscientia, & humani oculi hujus rei certi judices esse non possunt. Fœminæ quoque quæ nomen tuum noverint, vultum nesciant. Nam Joannes Baptista sanctam matrem habuit, pontificisque filius erat: & tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, ut in domo parentum cum periculo viveret castitatis. Vivebat in eremo: oculis desiderantibus Christum, nihil aliud dignabatur aspicere. Vestis aspera, zona pellicea, cibus locustæ, & mel silvestre: omnia virtuti & continentia præparata. Unde martyrem quem tormenta non vicerant, superabat voluptas. Tandem cœlitus inspiratus præcisam morsu linguam in osculantis se faciem exipuit, & sic libidinis sensum succedens doloris magnitudo præcipuit. Nam quomodo qui ignem tetigerit statim adurit: ita viri tactus & fœminæ lenis naturam suam, & diversitatem sexus intelligit. Item quomodo poterit libidinem refrenare: qui nec manum valet cohibere nec linguam?

Sed & hospitium tuum nunquam mulierum pedes terant. Videas ne sub eodem tecto mansites: nec in præterita castitate confidas. Quia nec David sanctior, nec Salomone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit. Egrotanti tibi sanctus quilibet frater assistat. Nam scio quosdam corpore convaluisse: & animo egrotare coepisse. Periculosè tibi ministrat: cuius vultum frequenter attendis. Si tamen vidua à te visitatur, aut virgo: nunquam domum solus introeas. Solus cum sola & absque arbitro vel teste non sedas: tantæque confabulandi fiducia sit, ut intrante alio non paveas nec erubescas. Speculum enim mentis facies est: & taciti oculi, cordis fatentur arcana.

Tales quoque habeto socios: quorum contubernio non infameris: non veste, sed moribus ornentur: & pudicitiam haberi polliceantur. Corruptum mores bonos, confabulationes pessimas. Caveto omnes suspiciones: & quicquid probabiliter fingi potest: ne fingatur, ante devota. Crebra munuscula, & sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicitas, & oblatos ac degustatos cibos, blandasque & dulces literulas, sanctus amor non habet. Audi me: Mel meum, lumen meum, metumque desiderium Christus est.

Omnes delicias & lepores & risu dignas urbanitates, & cæteras ineptias amatorum in comædiis erubescimus, & in sæculi hominibus detestamur: quanto magis in clericis & monachis: quorum & sacerdotium proposito, & propositum sacerdotio ornatur? Nec hoc dico, quod aut in te, aut in sanctis viris ista formidem: sed quod in omni proposito & gradu & sexu, boni & mali reperiantur: malorumque condemnatio, laus bonorum sit. Vide quid possint frena: à vitis nos retrahunt: introducunt ad virtutum choros: in Christi quoque monte pulcherrimo habitare nos faciunt. Quamdiu in patria tua es, habeto cellulam pro paradiso: varia scripturarum poma decerpe.

His utere deliciis, harum fructu complexu. Si scandalizat te pes, oculus, manus tua: projice ea. Nulli parcas, ut soli parcas animæ tuæ. Qui viderit, inquit Dominus, mulierem ad concupiscendum eam: jam mœchatus est eam in corde suo. Quis gloriabitur cultum se habere cor? Altra non sunt munda in conspectu Domini: quanto magis homines, quorum vita tentatio est?

Væ nobis miseris, quoties concupiscimus, toties fornicamur. Inebriatus est, inquit, gladius meus in cælo: multo amplius in terra, quæ spinas & tribulos generat. Vas electio-

nis in cuius pectore Christus resonabat: macerat corpus suum: & tamen cernit naturalem carnis ardorem, suæ repugnare sententiæ: ut quod non vult hoc agere compellatur: & tu te arbitraris absque lapsu & vulnere posse transire, nisi omni custodia servaveris cor tuum: maxime cum plurimi etiam si continentes iracundi sunt, ebriosi, procaeci, superbi, ex continentia magis inflati, percussores, maledici, cupidi, timidi, multum sibi placentes ut indices continentiam: quasi præferant incontinentiæ subministrasse materiam.

Sed ille continens verè est: qui universa membrorum officia à malis affectibus subtrahit: & cogitatum à tota nequitia compescit: quanto plura tamen sunt præmia? Nam & ego cum essem juvenis, & solitudinis me deferta vallarent: incentiva vitiorum ardoremque naturæ ferre non poteram: quem cum crebris jejuniis frangerem, mens cogitationibus aestuabat. Ad quam edomandam cuidam me fratri qui ex Hebræis crederat, in disciplinam dedi: ut post Quintilianum acuminata, gravitatem Frontonis, Ciceronisque fluvis, & lenitatem Plinii, alphabetum discerem, stridentia anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris infumperim: quotiesque cessaverim: & contentione discendi rursus inceperim: testis est conscientia tam mea qui passus sum, quam eorum qui mecum duxerunt vitam. Et gratias ago Domino quod de amaro femine literarum dulces fructus capio.

Prima igitur tentamenta clericorum sunt mulierum accessus. Nocivum genus femina, janua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio: cum proximat stipula, accendit ignem: flammigero igne percussit fœmina conscientiam pariter habitantis: exuritque fundamenta montium. Ego judico si cum viris fœminæ habitent, viscarium non deest diaboli. Si alligaverit quis ignem in sinu suo: & vestimenta sua non comburentur: Mihi crede non potest toto corde cum Domino habitare: qui fœminarum accessibus copulatur.

Sed dicis: Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Bene & argute: sed oportet bonum habere testimonium ex his qui foris sunt. Licet coram Deo rectè ambules, tamen coram hominibus bona providenda sunt: quia altiores sunt filiis lucis filii tenebrarum. Cum ergo à te hoc genus non amputatur: das reprehendentibus te locum, cum ipse te detraherentium morsibus tradidisti. Nam inter illecebras voluptatum, etiam ferreas mentes libido domat: quæ majorem in virginibus patitur famem, dum dulcius putat omne quod nescit. Narrat gentium fabule: cantibus Sirenarum nautas in saxa ille præcipites, & ad Orphei citharam arbores, bestias, ac silicium dura mollita.

Difficile quoque inter epulas servatur pudicitia, Nitens cutis, fordidum ostendit animum: licet quidam putent majoris esse virtutis præsentem contemnere voluptatem: tamen ego securioris arbitror continentia nescire quid querat. Remotio igitur viri, castitatis collocat arma, construit in melioribus castra pudoris. Tecla post tentationem passionis Antiochia, cum Paulo perhibetur pariter pergere. Nemo miles cum uxore pergit ad bellum. Germinant fœminæ spinas cum viris habitantes: arcana mentium acuto mucrone concutiunt. Nemo igitur inter serpentes & scorpiones securus ingreditur. Libido enim semper sui relinquit penitendum. Nunquam fatiatur, & extincta reaccenditur: usi crescit & decrescit: nec rationi parat, quæ impetu ducitur. Unde virginitas in eo felicior est, quod carnis incentiva non novit: & viduitas eo infelicio, quod præteritis animo recollit voluptates. Viro enim luxurioso verbum castitatis offensio est.

Qui vivunt in monasterio, & quorum simul magnus est numerus: nunquam soli extra procedunt. De agmine columbarum crebro accipiter unam separat, quam statim invadat & laceret: & cuius carnibus & eruoere saturretur. Morbidæ oves suam relinquunt gregem: & luporum faucibus devorantur. Rarus igitur tibi sit egressus in publicum: martyres tibi quarantur in cubiculo tuo. Nunquam tibi causa erit proferendi: si semper necessarii processurus sis. Aliorum vulnus, nostra sit cautio. Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.

Nam etiam quæ homines æstimant sibi salutaria: Deo volente verti videmus in perniciem. In tranquillitate enim tempestas oritur: nihil Deo adversante securum est. Naturale quodque est unumquemque in suo periculo de alio plus sperare.

Si quando fœneris exteriorem hominem florem adolescentia suspirare: & accepto cibo cum te in lecto positum dulcis libidinum pompa concusserit: arripe scutum fidei in quo

ignita: diaboli extinguuntur sagittæ. Omnes enim adulterantes quasi cibus corda eorum: licet difficile est humanam animam aliquid non amare, ut in quoscumque mens nostra trahatur affectus. Carnis igitur amor, spiritus amore superetur. Desiderium desiderio restringatur: quicquid inde minuitur, hic crescat. Non sinas ergo cogitationem crescere: dum parvus est hostis interfice: nequitia elidatur in femine. Audi psalmistam: Beatus qui allidet parvulos suos ad petram. Impossibile est in sensum hominis non irruere morum, & medullarum calorem. Ille tamen laudatur: ille prædicatur beatus, qui statim cum cœperit cogitare, interficit cogitatus, & allidit eos ad petram? Petra autem erat Christus. Nam fides pura moram non patitur. Cum apparuerit scorpio, illico conterendus est.

Ardentes igitur diaboli sagittæ, jejuniis & vigiliarum frigore restringenda sunt. Erras namque frater, erras: si putas unquam Christianum persecutionem non pati. Tunc enim maxime oppugnaris, si te oppugnari nescis. Nemo enim est tanta firmitate suffusus: ut de stabilitate debeat esse securus: dicente Apostolo: Qui stat videat ne cadat: quoniam nullus hostili exercitu obfidente securus est. Nam adversarius noster tanquam leo rugiens aliquid devorare quærens, circumit: & tu pacem putas? Sedet in insidiis cum divitibus & in occultis, ut interficiat innocentem. Quod de libidine diximus: referamus ad avaritiam, & ad omnia vitia quæ vitantur solitudine. Et dicirco urbium frequentiam declinamus, ne facere compellamur, quæ nos non tam natura cogit facere quam voluntas.

De paupertate.

QUONDAM dives adolescens, omnia quæ in lege præcepta sunt se implese jactabat. Ad quem Dominus in Evangelio: Unum tibi, inquit, deest: si vis perfectus esse, vende vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. Qui omnia se dicebat fecisse: in primo certamine divitias vincere non potest. Unde difficile intrant divites regna cœlorum, quæ expeditos & alarum levitate subnixos habitatores desiderant. Vade, inquit, vende: non partem substantiæ: sed universa quæ possides: & da, non amicis, non consanguineis, non propinquis, non uxori, non liberis: plus aliquid addam: nihil tibi ob metum inopiae reservabis, ne cum Anania damneris & Sapphira: sed da cuncta pauperibus: & fac amicos de iniquo mammona: qui te recipiant in æterna tabernacula: ut ne sequaris ut Dominum. Nam omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

Quanta beatitudo pro parvis magna recipere, æterna pro brevibus, pro morituris semper vivencia: & habere Deum debitorem? In Actibus Apostolorum: quando Domini nostri adhuc calebat cruor, & fervebat recens in creditibus fides, vendebant omnes possessiones suas: & pretia earum ad Apostolorum deferebant pedes: ut ostenderent pecunias esse calcandas: dabaturque singulis, prout cuique opus erat. Unde Ananias & Sapphira dispensatores timidi, imò corde duplici: & ideo condemnati: quia post votum abstulerunt quasi sua, & non ejus cui ea voverant: partemque sibi jam alienæ substantiæ reservaverunt, metuentes famem, quam vera fides non timet: & præsentem meruere vindictam, non crudelitatem sententiæ, sed correctionis exemplo. Vende ergo omnia quæ habes, & da pauperibus: non divitibus, non ad luxuriam, sed ad necessitatem. Sive ille sacerdos sit, sive cognatus, sive affinis: nihil aliud in eo consideres, nisi paupertatem.

Quodque in Ægyptiis & Syriis monasteriis moris est: ut qui se Deo voverint sæculo renunciantes, omnes sæculi delicias conculcent: & quod sæculo renunciamus voluntas sit, non necessitas, ut paupertas habeat expeditam gloriam, non illata cruciatum. Caterum juxta miseras hujus temporis, & ubique gladios servientes: satis dives est qui pane non indiget: & nimium potens est, qui servire non cogitur. Multi enim ædificat parietes: & columnas Ecclesiæ substruunt, marmora nitent, auro splendent laquearia, & gemmis altare distinguunt, & ministrorum Dei nulla est electio. Neque verò mihi aliquis opponat: dives in Judæa templum, mensam, lucernas, thuribula, scyphos, & alia ex auro fabricata.

Tunc hæc probabantur à Domino, quando sacerdotes hostias immolabant, & sanguis pecorum erat redemptio peccatorum: quamquam hæc omnia præcellerunt in figura.

Nunc verò cum paupertatem domus suæ pauper Dominus dedicaverit: cogitemus crucem, & divitias lutum putabimus. Sed nunquid tempus, ut habitetis in domibus laqueatis: id est, ornatis & compositis: & quæ non tam ad usum sunt, quam ad delicias, inquit Propheta. Nam habitaculum meum, in quo fuerant sancta sanctorum: & cherubim & mensa propositionis, pluvius rigabitur: squalebit solitudine, & sole torrebit. Quæ autem utilitas fulgere gemmis: & Christum in paupere fame mori? Jam non sunt tua quæ possides: dispensatio tibi credita est: cave ne quasi fidelis & famosus quondam tuorum dispensator, alienam pecuniam distribuentem accipias.

Crates ille Thebanus, homo quondam ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit: nec putavit se posse virtutes simul & divitias possidere: & nos suffarcinati auro Christum pauperem sequimur: & sub pretextu elemosynæ pristinis opibus incubantes: quomodo possumus aliena fideliter distribuere, qui nostra timidè reservamus? Intelligis quid loquor. Dedit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. Præter victum & vestitum & manifestas necessitates nihil cuiquam tribuas: ne filiorum panem, canes comedant.

Tu ergo considera, ne Christi substantiam imprudenter effundas: id est, ne immoderato judicio, rem pauperum tribuas non pauperibus, quod par est sacrilegii, & secundum dictum prudentissimi viri, liberalitate liberalitas pereat. Sunt quoque qui pauperibus parum tribuunt, ut amplius accipiant: & sub pretextu elemosynæ divitias quærunt: quæ magis venatio quam elemosyna dicenda est. Sic bestia, sic aves, sic & capiuntur pisces. Modicum in hamo essec ponitur: ut matronarum in eo sæculi protrahantur. Nos autem humiles atque pauperuli: nec habemus divitias, nec oblatas dignamur accipere. Balsamum, piper & poma palmarum rusticis non emunt. Qui enim volunt divites fieri, incidunt in tentationes & laqueum diaboli & desideria multa. Et præferim, quia ætas optata cunctis non vicinam mortem, quæ debetur mortalibus natura lege: sed casta spe annorum nobis spatia pollicetur. Nemo enim tam fractis viribus, & sic decrepitate senectutis est: ut non se putet adhuc unum annum esse victurum. Verùm quid ago? fracta navi de mercibus disparto. Non intelligimus Antichristum appropinquare: quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris ejus.

Juvenis quidem potest mori citò: sed senex diu vivere non potest: maxime quia comparatione æternitatis omne quod in mundo patimur, una dies appellari potest: non habitatio, sed peregrinatio. Nam quotidie commutatur, tamen æternos nos credimus. Hoc ipsum quod dico, quod scribo, quod lego, quod emendo, de vita mea trahitur. Quot puncta notarii, tot meorum dama sunt temporum. Omnes namque divitiæ de iniquitate descendunt: nisi alter perdidit, alter invenire non potest. Unde vulgata sententia mihi videtur esse verissima. Quod dives, aut iniquus, aut iniqui hæres. Vides enim homines maria transire: ante potentum excubare fores: pati omnia quæ servorum conditio vix patitur, ut divitias congregent, ut aliquam accipiant dignitatem. Et postquam hoc fuerint consecuti: tradere se luxuriæ & voluptatibus & omni iniquitati, ut quod avaritia congregat, luxuria consumat.

Isti ergo pro laboribus suis efficiuntur hospitium demonum. Qui Templum Dei esse debebant, sunt tabernacula Æthiopum. Postquam enim ditati fuerint: & per fas & nefas ad altissimum conscenderint: tunc conscientia peccatorum suorum semper mortem, semper iudicium formidabunt: & ad levem febriciunculam, quasi latrones in carcere de æternis suppliciis suspirabunt. Divites autem qui ingressi sunt regna cœlorum, ipsi divitias ad bona utentes opera, divites esse desierunt: & dispensatores magis Dei quam divites appellandi. Obsecro ergo te, ne lucra mundi in Christi quæras militia. Negociatorem clericum, & ex inope divitem factum, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge. Et præferim cum sciam te toti renunciasse mundo: & abjectis calcatisque divitiis, orationi, lectioni, jejuniis vacare quotidie. Procuratores quoque & dispensatores domorum alienarum atque villarum clerici esse non possunt: qui proprias jubentur contemnere divitiarum facultates. Avaritiæ quoque malum